De
Diebus Decretoriis
& Criticis pauca.

CAPUT I.

EX aſtris de morborum motu & eorum cum naturâ conflictu, eoq́; forti vel debili contra ipſos pugnâ, an penes morbum, an verò penes corporis facultatẽ ſit futura victoria, non Galenus modô in quibusdam libellis, ſed etiam alii Medici & Philoſophi Clariſſimi teſtantur, quod & ipſa experientia clarè teſtatur.

Pendet enim dierum Criticorum ratio ſimpliciter à Lunæ motu, & ejus cum aliis ſtellis configurationibus; Quametſi Galenus minus rationabili via & ἀποδεικτικῶς tradidiſſe alicui videre poteſt, quod alium à vero Lunæ motum ſequutus ſit, & ex περιοδικῷ & illuminationis menſibus Medicum concinnaverit: Tamen excuſari, & nihilominus decretorios dies à motu Lunæ oriri, ipſum ſenſiſſe probari poteſt.